



Æquo & benigno lectori Christiano  
S. P.

**T**ertius hic rerum antiquarum *Tomus*  
tertium Constantiensis Concilii momentum religiosum,  
fidei controversias in eo ventilatas, concernit. Cu-  
jus novæ farraginis literariæ ut constet ratio, colle-  
ctionis ac distributionis ansam, regulam ac fortunam, e-  
xemplo priorum Tomorum, breviter attingemus. *MSCTorum* verò Co-  
dicum, ex quibus hæc hauta, cara antiquitas & pretium nobile, ex supe-  
rioribus abunde constant.

CAP. I.

Argumentum Tomi hujus Tertii,  
*De ponderosis fidei rebus, illa ætate in controver-  
siam vocatis, in Constantiensi Concilio excussis.*

**T**ergeminum fuisse scopum ac finem magno Constantiensi Con-  
cilio præfixum, disciplinæ Ecclesiasticæ decorum, publicæ in Ecclesiæ  
pacis vincula, & doctrinæ fidei integritatem, non solum ex cente-  
nis Concilii diplomatis liquet, sed & ex Cæsaris Sigismundi primo con-  
stat edicto publico, quo Concilium orbi Christiano indixit, quod *Tomo V.*  
comparebit. Idemq; ut Viri quique boni publicis scriptis ac votis *ante*  
*Concilium* expetiverant, *in Concilio* vel millies repetiverunt. Quo-  
rum luculenta vestigia ex superioribus Tomis animo lectoris obversa-  
buntur.

Quandoquidem igitur in investigandis ac digerendis antiquis  
monumentis, quæ ad *priora* Concilii negotia spectant, jussu atque au-  
toritate SAPIENTIS PRINCIPIS, RUDOLPHI AUGUSTI,  
ad hanc regulam universa exigere oportuit: Ut pristina illa genuina re-  
rum facies absque fuso pateat, sua historiæ plena constet fides, divi-

næ providentiae & inscrutabilis regiminis veneranda ubique majestas pelluceat, fata denique Ecclesiæ & orbis Christiani antiqua exemplo sint posteris: Idem in hoc Tertio Tomo instruendo religiose spectare necesse fuit, quo tertium Concilii argumentum exponendum.

Eam proinde in explorandis ac eruendis his etiam antiquis monumentis industriam, eum in digerendis ordinem, eamq; in recensendis fidem adhibuimus, ut & rei olim gestæ veritas, & divinæ gubernationis consilium, & mirus fatorum in rebus illis antiquis eventus postulabant. En ergo fontes.

Quadraginta fere ante Constantiense Concilium annis, cum dissidere cœpissent Pontifices summi, de jure, sede atque autoritate magno animorum motu dimicantes, ut fit inter homines, ex variis decertantium artibus exemplum & reliqui Ecclesiastici sumserunt pari licentia exorbitandi, & omnem disciplinam Ecclesiasticam eliminandi. Quæ publica Ecclesiæ afflictio, morum immensa depravatio in toto Ecclesiastico corpore notata, bonorum quorundam virorum suspiria & querelas ubertim & passim expressit. Quod igitur remedium nullum appareret, emendationi desideratae aptum, seposito aut abjecto metu, præ desiderio salutis publicæ, liberius carpere summa Ecclesiæ capita non formidarunt. Ex quo animi dolore, corruptionis Ecclesiasticæ intuitu, in examen constitutionum Papalium decretorumve ac rituum in sacris usitatorum descendederunt.

Hinc natum mox *Wiceli in Anglia Theologi Oxoniensis* os aperatum liberrimusq; calamus, perstringendi in Ecclesiastico regimine maculas, & rituum quorundam formam reprehendendi. Cui mox magnus eruditorum & magnatum numerus consensit. Quod non futurum fuisse, agnovere & credidere publiceque professi sunt in ipso Constantiensi Concilio viri magni, ni ansa illis data fuisset novissimis Præsidum Ecclesiæ tenacissimis dissidiis & corrupto regendi tenore. Cujus testis præter alios fuerit *Jacobus Episcopus Laudensis*, in Constantiensi Concilio autoritate & dicendi virtute excellens, in oratione in suppliciū Husi dicta.

Ea occasione circa illud tempus A. 1389. Pragæ prodidisse fertur, *Pragensis Ecclesiæ Pastor*, *M. Matthias*, qui ritum Ecclesiæ tunc usitatum, communicandi plebem sub una specie panis, publice carpere, ac alium *sub utraque populum communicandi introducere* caput. Qui tamen mox repressus novum illum ritum missum facere jussus est, ut infra pleniū exponetur.

Eodem tempore vel surrexerunt vel aucti sunt viresque sumserunt *Crucifratres* aut *Flagellarii*, qui præ indignatione animi, ac corruptionis tædio atq; impatientia, in devotionem cruentam prolapsi, reprehensis plerisque Pontificum decretis ritibusq; Ecclesiasticis repudiatis.

Quanquam verò igne non minus ac ferro atque decretorum fulminibus hi similesque affligerentur, cæderentur vel pellerentur: Extingui tamen non potuerunt, dum regiminis Ecclesiastici forma haud emendata, ansâ querelarum nondum sublatâ.

Sic orti subinde alii atque alii in diversis regionibus, qui pari usi libertate similes effunderent querelas, capitaque doctrinæ sacræ recepta quas-

## PRÖLEGOMENA.

7

quaſſarent aut conveſſerent, quæ judicarent ab antiquis moribus eſſe aliena.

In illis extitit & *Huſſus Pragæ*, cum *Hieronymo Pragenſi*, aliisque, qui, exemplo certe *Wiclefi* ejusque libris mox animati aut confirmati, in ſimiles Ecclesiæ conſvetudines ac hypotheses invehementur, indignabun- do animo intuiti Praefidum Ecclesiæ lites, jurgia, artes & machinas. Quam occaſionem & Huſſo datam Patres Constantiensis Concilii haud diſſimularunt, ut videre eſt *Tomo I. Parte VII. cap. xxix. xxix. f. 306. ſeqq.*

Huſſo tandem in Concilium vocato, & in carcerem conjecto, ejus in Bohemia reliqui ſectatores tantum abeſt animum vel calamum cum Huſſo viuetum aut fractum putarent, ut tanto liberius quod coeperant pro- ſequerentur. Inter quos caput mox præ ceteris exferuit *Paſtor Ecclesiæ Pragensis*, *Jacobus de Misa*, qui quod ante multos annos, ut ſupra di- etum, in eadem urbe infelicius tentaverat antecessor, majori nunc ardore reuſuſcitaret, communionem calicis plebi commendans, uſu illo ſolenni ratione introducto. Cui mox Academia, ſenatus Pragensis populusq; oppi- danus ſeſe junxit.

Iſtæ igitur controverſia Wiclefiticæ, Flagellariorum, Huſſiticæ, Ja- cobiticæ atq; Bohemorum, in Constantiensi Concilio diu multumq; ex- peneſe atque diſcuſſae ſunt.

Quibus acceſſerunt & aliae contentiones religioſe. E. g. An ſub præ- textu religioni terræ infidelium armis ſint invadendæ?

Similiter paucis ante Concilium annis, Parifiis, ex caede Ducis Au- relianensis per Ducis Burgundiæ ministros hæc motha quaſtio: *Quod- nam jus haberent subditi aut vasalli in Regem aut Principem, tyrannidis charactere subditis gravem.* Quæ lis per Doctorem Johannem Parvum, Ducis Burgundiæ Confiliarium, in eam ſententiam detorta, quod jus necis ſit penes subditos aut vasallos in Principem talem. Etsi verò hæc magna Parvi cauſa *Parfis in Nationali Concilio condemnaretur*, Burgun- gundiones tamen ſua inquietudine effecerunt, ut in Constantiensi Concilio reperita controverſia, licet iniqua judicata ac damnata, a Pontifice tamen Martino V. diſſimularetur.

Par erat ratio *Brigitticarum Visionum ac Revelationum*. Etsi enim hæ impugnarentur in Concilio, canonisationem tamen Brigittæ Joha- nes 23. nec differre nec denegare voluit, quin promovit.

Nec Concilii quaſtione ac censuram diſſugere fufinuerunt Mo- nachi & Moniales, qui vel de ſtatus ſui quam vocabant perfectione, vel de bonis, quæ poſſiderent ſinguli privatim, in Concilio diſquirerent, quanti iſta religioni forma pretii, & quod in bona privata jus haberent, exploraturi.

Summa ergo præcipuarum quaſtioneſ in Concilio  
ventilatarum, quas fidei charactere inſigniverunt,  
huc fere redit.

*De occaſione variarum litium Ecclesiasticarum de rebus fidei, quas illa etate moveri contigit.*

*De Ecclesiæ Praefidumque dignitate, autoritate ac jure.*

- De immunitate Principum adversus injurias subditorum ac vasallorum.  
De bellis religiosis, An sub ratione aut colore propaganda fidei Christianae invadere infidelium terras liceat.  
De visionibus ac revelationibus divinis.  
De protestatione ac revocatione in rebus fidei.  
De Ecclesiastici Calendarii erroribus emendandis.  
De Flagellariorum religiositate, præ devotione flagellis ad sanguinem usque proprium cædendi corpus.  
De Monachatu, an peculiaris religionis nomen ac indolem referat. An Christianismus per se solus veræ religionis nomen ac naturam possideat.  
De Monachorum ordinibus, eorumque religiositate.  
De Monachorum ac Monialium bonis, an privatim illa posidere ac illis frui possint.  
De annuis pensionibus Monachorum ac Monialium.  
De clericorum bonis, an illis possint privari.  
De statu primitivæ Ecclesiæ, an clerus ad illum posuit reduci.  
De decimis, an sint eleemosynæ, & an clero debeantur.  
De transubstantiatione in sacramento.  
De excommunicatione.  
De orationibus cleri pro vivis & defunctis.  
De Decretalibus.  
De Indulgentiis.  
De communione plebis sacramentali sub utraque specie.  
De libertate predicandi verbum Dei.  
De libertate confitendi, absolvendi & communicandi.  
De ritu Ecclesiastico cantandi in templis.  
De vera existentia corporis Christi in sacra Cœna.*

Non fuit nostri hic muneris neq; scopi, de his rebus judicium ferre. Quippe quod totius operis hæc mensura à Serenissimo DUCE data, ut nudæ rerum, fatorum, ac monumentorum recensioni acquiesceremus, semota omni censura. Eo quippe sincerior recensio quanto minus aculeata, & ab affectuum æstu prorsus aliena. Judicium in omnibus merito relatum esto prudentibus, peritis, antiquæ fortunæ consciis, affectu temperantibus, & communium mundi fatorum haud inexpertis.

## C A P. II.

*De conditione ordine & nexu Monumentorum,  
quæ Tomo hoc III. sunt comprehensa, vel quæ in aliud tempus locumve aptiorem differre consultum fuit visum.*

**O**rdinem pro annis & fatis Concilii observare, ut in superioribus Tomis, ita & hic omni modo studuimus, ut diffusa interdum per plures Concilii annos harum quæstionum tractatio & longus ambitus admisit. De

**De HUSSI, Bohemi,  
rebus Constantiensibus.**

**O**MNIBUS ceteris causis religiosis in Concilii tractatione p̄aeivit *Husfi negotium*. Siquidem à primo Concilii exordio *Husfi res* à Papa Johanne 23. & aliis doctoribus tractari cœperunt, quæ postmodum per longum Concilii ambitum sunt diffusæ. Merito itaque in capite hujus Tomi *res Husfi* locum sibi vendicabant.

Ceterum, non imus inficias, ingentem rerum Husiticarum ad Concilium spectantium cumulum nos missum fecisse, nec huic Tomo inferruisse, et si earum suppeterent MSCta. Cujus *consulti neglectus*, à temeritate omnino prorsus liberi, ratio facile nos excusabit, quod scil. alibi haberi ac legi commode possint, ut & temporis & operis moli optimo parceremus jure.

Misimus proinde scripta *Husfi*, proxime ante Constantiense Concilium contra *Indulgentias Papæ Johannis 23*. Pragæ edita, quæ cum aliis ansam dederant, ut ad Concilium vocaretur: Nec non quæ *pro Wiclefo* scripserat, quæ materiam accusationi in Concilio amplam suppeditarunt.

Liquimus pari jure *tractatum ejus De Ecclesia*, A. 1413. in limitibus Concilii scriptum, in Concilio diu multumque examinatum & condemnatum.

Præteriimus opuscula ejusdem, quæ ante iter ad Concilium concinnaverat, hoc animo, ut in Constantieni Concilio publice proponeret ac recitaret, si indulgeretur. Quæ sunt, *De sufficientia Legis Christi ad regendam Ecclesiam*: *De fidei sue elucidatione*: *De pace*.

Seposuimus porro libellos ejus complusculos, in ipso Constantiensi Concilio vel ante vincula vel in carcere exaratos. Qui sunt: *Narratio ipsius Husfi de suo negotio*, *Constantie scripta*: *De Sangvine Christi sub specie vini à laicis sumendo*, cum à Bohemis ea de re consultus esset, postquam Jacobellus Pragæ hoc aggressus erat: *De decem preceptis*: *De oratione Dominica*: *De peccato mortali*: *De Matrimonio*: *De cognitione & dilectione Dei*: *De tribus hostibus hominis & septem peccatis mortalibus*: *De paenitentia*: *De sacramento corporis & sanguinis dominici*.

Nec attigimus cumulum haud parvum epistolarum *Husfi*, nec *Bohemorum*, & *Constantiensis Concilii*, quæ privatum ac publice de Husso tunc scriptæ. Ut & *Narrationem historicam autoris Bohemi*, in Concilio præsentis, *de supplicio Husfi*.

Majori jure dissimulavimus omnes antiquos *vite Husiticæ scriptores*, aptiusq; recentiores, *Crispinum*, *Pantaleonem*, *Theobaldum*, *Horzovitum*, aliosque.

Unum duntaxat idque peregrinum dedimus *Parte I. de Constantiensibus Husfi rebus monumentum*, *In supplicium Husfi orationem Jacobi, Laudensis Episcopi*, viri alias cordati, & ad emendatiorem Ecclesiæ formam impensè adspirantis, ut vel ex oratione, ante Pontificis Martini V. electionem publice in Concilio habita, Tomo I. recensita, est manifestum. Longe vero luculentiore ex MSCtis antiquis & genuinis dedimus illum Sermonem, quam recensuerunt alii.

Ceterum, quod omnes propemodum res Hussiticæ ab hoc Tomo consulto excluderentur, causa fuit, cur & alia monumenta, vel proxime ante Concilium vel in eodem à Theologis Husso opposita, quæ ex MSCtis Codicibus antiquissimis hauiimus, retineremus, in aliud reservanda tempus. In his sunt: *Mauritii de Praga*, Theologi Pragensis, opusculum contra impedientes Wenceslaum Tiem, quoad prædicationem cruciate Johannis 23. Ut & *Stephani de Palez*, Pragensis Theologi, acerrimi adversarii Hussi, *Anti-Hussus*, opus admodum prolixum.

Hussitis verò quæ proxime à fine Concilii magnis voluminibus multo apparatu opposuerunt idem Stephanus de Palez, Johannes Hoffman, Theologus Lipsiensis, Oswaldus Reinlein, Theologus Viennensis, aliquie plures, absque omni collectionis præsentis injuria in alias recondidimus usus.

*Nummos* denique varios, in *Husfi supplicium* illa tempestate à Bohemis cufos aut fusos, quos ex pluribus Principum cimeliis pulchre delineatos nacti sumus, pari cum superioribus fortuna, eadem de causa, hoc Tomo non expressimus.

### De JOHANNIS PARVI, Galli, Theologi & Consiliarii Burgundi, rebus Constantiensibus.

Tenacissima succedit, & ob potentiam illorum ad quos pertinebat, armata & aculeata fidei causa, in Constantiensi Concilio magno studio, nec pari semper, ob artes & infidias, successu tractata, *De jure subditorum in Principes aut Reges tyrannos, deque immunitate Principum ab injuriis subditorum aut Vasallorum*. In Gallia primum, haud longe ante Constantiensi Concilium, circa A. 1407. hæc quæstio fuit nata. Postquam enim *Ludovicus Dux Aurelianensis*, Regis Galliæ Caroli VI. frater, per subornatos ministros à *Johanne Duce Burgundiæ* Parisiis erat confosus, vindictaque cædis à Rege & peteretur & formaretur: Ad sui facinoris defensionem admissus tandem Dux Burgundiæ Oratorem invenit, argutum suæ causæ futurum advocationem, Theologiæ Doctorem ac Consilia-rium suum, *Jean Petit, Johannem Parvum*.

Hic igitur, causæ Burgundi patrocinatus, *Justificationem Ducis Burgundiæ*, heri sui, conscripsit ac publicavit, qua facinus Burgundi, justum, imò laude dignum, ac præmiis à Rege afficiendum esse, fuse probare annus est.

Quod *Johannis Parvi* opus ansam mox multis & gravissimis dedit in Gallia litibus, variisque in sanctas Principum personas injuriosis opinionibus, quasi subditorum hoc jus esset in Principes subditis molestos, illos quovis modo è vita tollendi. Quod ergo in his motibus periculosis autor operis fatis fungeretur, constitutum tandem à Rege, *Nationali Gallico Concilio* isthæc *Johannis Parvi* examinaretur atque condemnaretur. Quod & factum.

Proximo itaque anno ante Constantiensis Concilii universalis initium, sub finem anni 1413. Parisiis *Synodus Nationalis* hujus rei causa co-  
acta

acta. In qua, post multas consultationes ac frequentes sessiones, damnata tandem *autoritati Principum inimica Johannis Parvi doctrina*, in *Justificatione* istac Burgundi prodita aut suggesta.

Cum autem interea *Constantiae* confluenter magnates universi orbis Christiani, ad omnes dubias res sacras componendas, consultum Regi Galliae visum, hanc in Nationali Synodo damnatam causam *Constantiam* quoque per Legatos *ad Concilium ablegandi*, ubi denuo & curatus examinata solennius tanquam fidei Christianae adversa damnaretur. Quemadmodum etiam post multa colloquia & congressus, *publica ejus condemnatio*, Cæsare Sigismundo glorioissimo affectu urgente, prodiit. Quanquam per varias insidias Burgundionum eo res dein redacta, ut loco roborandæ ac prosequendæ condemnationis, novæ suscitarentur de isthac re inter Patres Concilii disputationes, prolixæ, intricatæ ac tædiosæ, quæ ne cum novo quidem Pontifice Martino V. electo finem invenire poterant, qui condemnationem vel repetere vel confirmare dubitans, rem decidere detrectavit,rupto Concilio, molestissimoque eodem negotio suspenso. *Quod bonorum querelas à fine Concilii extorsit ac cumulavit.*

Arduæ illæ res *Constantienses*, pro *autoritate Principum facientes*, per aliquot Actorum volumina diffusæ, Husiticam causam *hoc Tomo III. excipere* debuissent. Ast nimia rerum istarum moles, separatum constituta Tomum, brevibus hujus Tomi cancellis includi noluit. Præterea luctuosa hominum vita, facili impulsu ruitura, aliorum exempla objecit, qui vastis nimis operibus edendis occupati inter chartas expirarunt, imperfectis rebus omnibus cum dolore aliorum relictis. Ne igitur & in hac, non adeo licet vasta, tædiosa tamen, difficile ac satis longa collectio ne & recensione vetustissimarum ac reconditarum rerum idem nobis contingere, ut reliquis rebus Concilii non confessis filum fato interrumperetur, præstare creditum, peculiarem hanc rerum molem ab hoc Tomo sejungere aliisque fatis concedere.

Ut tamen non plane ignoret lector, *autoritatem Principum salvam* semper cupiens, quæ sint præcipua argumenta, paucis ea prælibare juvabit.

#### PARS I.

Præmissâ historica Narratione cædis, à Duce Burgundiæ in Duce Aurelianensi perpetratae una cum brievi arguento *Justificationis Burgundi ex scriptoribus coætaneis*: In fronte operis comparet ipsum monumen tum adeo decantatum: Nempe *comitatu[m] burgundianu[m] iurioli minori*.

Johannis Parvi, Theologi Parisiensis & Consiliarii Burgundi, liber controversus, in Nationali Synodo Gallica & Universali Concilio Constantiensi diu multumque lectus & examinatus, nempe *Justificatio Duci Burgundia. Gallice & Latine.*

#### PARS II.

**A**cta in Concilio Nationali Gallico de libro & doctrina Johan. Parvi. Quæ omnia mox in Constantiensi Concilio Patribus publicè oblata & sententiae Judiciali sunt exposita.

Concilii Nationalis Gallici, Parisiis congregati, Prima Sessio A. 1413. d. 30. Nov. In qua *Regis mandatum* Gallico idiomate prælectum. U. Tom. III.

nā cum *tribus publicis instrumentis*, illam causam jam ante coram Rege & Universitate Parisiensi tractatam attingentibus. Quibus & contenti pauci *articuli*, ex *Johannis Parvi libro de prompti*, in controversiam vocati, jam ante examinati ac refutati. Præterea *codicillus* prælectus, comprehendens varios & permultos alios Petitianos articulos, cum refutatione eorum. Quibus junctæ xxx. *Doctorum & eruditorum virorum* in Synodo præsentium *consilia*, *vota ac sententiae*. Unde nata *Conclusio*: Recte jam ante, ut supra in prælectis libellis ac instrumentis erat commoratum, à Parisiensi Academia reprobatas esse assertiones Johannis Parvi, & ulterius ad judiciale condemnationem posse procedi.

Secunda Sessio A. 1413. d. 4. Dec. Consulti assensores Synodi per Episcopum Parisiensem, *de modo ad condemnationem dictarum Assertionum* progrediendi. Recensitaque longa serie vota ac *suffragia Assensorum*. Unde nata *Judicium conclusio*, libellos aut codicillos superiores, quibus assertiones cum refutationibus Parisiensium additæ, alegandos esse ad singulos Theologos, ad privatum examen. Quod & dein factum.

Sessio III. A. 1413. d. 19. Dec. Rogati inter alia Assensores qui conscripta sua privatim judicia & censuras de perlectis illis chartis communicaerent ac exhiberent. Expressa *Schedula*, omnibus antea ex decreto superiori ad examinandas res illas missa. Exhibitæ quorundam Episcoporum & Abbatum *scriptæ deliberationes aut censuræ*, satis prolixæ. Alii diebus sequentibus hoc mense dederunt. Aliorum *judicia* ad Judices sunt alegata, magno numero, eaque in confessu semper prælecta & publicata.

Sessio IV. solennis 1414. d. 5. Jan. In qua votorum superiorum summâ repetitâ, & consensu *de reprobandis assertionibus* illis publicato; Ulterius disquisitum est *de modo porro procedendi*. In primis an deputandi aliqui, qui *inquirerent in scripta Io. Parvi, num revera in illis habeantur ista dubia?* Etan Ducis Burgundiæ per legatum Synodi suffragia & conclusiones aprire oporteret, ad contumelias declinandas? Collectisque suffragiis *inquisitionis Deputati* definiti.

Sessio V. A. 1414. d. 8. Jan. Deputatis inquirendi negotium commissum, constitutusque legatus ad Burgundiæ Ducem. Tenor Instrunctionis datæ legato isti.

Sessio VI. A. 1414. d. 12. Jan. Inquisitionis Commissarii ad referendum vocati. Ait dilatione publice perita aliis illis dies dictus.

Sessio VII. A. 1414. d. 15. Jan. Die ad referendum statuto, nullo autem Commissariorum illorum adhuc comparente, decretum, illos per schedules esse citandos ad certum diem. Tenor decreti illis missi.

Sessio VIII. A. 1414. die 19. Jan. Relatio Commissariorum audita, & de charta ab aliquibus prælecta sua cujusque sententia.

Sessio IX. A. 1414. die 20. Jan. Auditio ordine alii Commissarii, producetis in charta sententiis.

Sessio X. A. 1414. d. 22. Jan. Iterum alii Commissarii auditi.

Sessio XI. A. 1414. d. 23. Jan. Continuatus inquisitionis illius labor, horis ante & pomeridianis.

Sessio XII. A. 1414. d. 24. Jan. Porro in isto negotio sunt progressi.

Sessio XIII. A. 1414. d. 26. Jan. Inquisitionis negotium continuatum, recensentibus aliis de charta & sua judicia.

Sessio

Sessio XIV. A. 1414. d. 27. Jan. Alii deputati quid sentirent edixerunt.  
 Sessio XV. A. 1414. d. 29. Jan. Alii suam mentem exposuerunt.  
 Sessio XVI. A. 1414. d. 30. ultima Ianuar. Iterum alii.  
 Sessio XVII. A. 1414. d. 1. Febr. Deliberatum de rebus in publica Sessione proxime proponendis.

Sessio XVIII. A. 1414. d. 3. Febr. Proposita nova ex relatione Deputatorum schedula de rebus Parvi.

Sessio XIX. A. 1414. d. 6. Feb. De illa schedula disputatum.

Sessio XX. A. 1414. d. 7. Febr. Publicata isthac saepius emendata Deputatorum schedula. Decretumque, omnibus Theologis per schedulas istam Deputatorum sententiam esse denunciandam, audiendumque, quid porro agendum. Tenor schedularum alegatarum. Nomina illorum, qui schedulas acceperunt.

Sessio XXI. A. 1414. d. 12. Febr. Publicata epistola Regis Caroli VI. ad Episcopum Parisiensem, de rebus presentibus. Secuta suffragia illorum, qui schedulas acceperunt.

Sessio XXII. eodem die post meridiem. Alii plures, schedulas nacti, suam exposuerunt mentem.

Sessio XXIII. A. 1414. die 15. Febr. Alii & suam.

Sessio XXIV. A. 1414. d. 17. Febr. Iterum alii.

Sessio XXV. A. 1414. d. 18. Febr. Et alii.

Sessio XXVI. eodem die post meridiem. Denuo alii.

Sessio XXVII. A. 1414. d. 19. Febr. Porro alii.

Post haec missae schedulae ad clerum Parisiis existentem, quibus sententia aperienda denunciata.

Sessio XXVIII. A. 1414. d. 23. Febr. Oratione solenni praemissa, totus processus superior recensitus. De hinc à Judicibus sententia publicata. Formula condemnationis dictarum assertionum.

Executio condemnationis Propositionis Johannis Parvi, quando A. 1414. d. 25. Febr. die Dominica, praemesso sermone sacro, palam est combusta, praesente ingenti hominum, Prælatorum aliorumque numero.

Epistola Judicium ad Episcopum Meldensem, qua acta superiora denunciarunt, A. 1414. d. 12. Martii.

Epistola aut Diploma Regis publicum, editum A. 1414. d. 17. Martii, ad omnes regni sui Prælatos, de cremandis Johannis Parvi Propositionibus.

Epistola s. Edictum Academiæ Parisiensis publicum, de cremandis ubique Propositionibus istis damnatis, A. 1414. die 18. Martii.

Mandatum Regis, quod publicetur condemnatio Propositionis Johannis Parvi, de Justificatione Ducis Burgundiae super morte Ducis Aurelianensis, A. 1414. d. 4. Junii.

Oratio Parisiis A. 1414. d. 4. Decemb. coram Rege & Magnatibus in regia curia habita ab universitate Parisiensi pro condemnatione sententiae Jo. Parvi.

Edictum Regis, quo condemnata Propositio Jo. Parvi. A. 1414. d. 27. Dec.

### PARS III.

Acta in Concilio Constantiensi de libro & sententia Johannis Parvi.

Epistola Regis Gallorum, Caroli VI. ad Concilium Constantiense, qua Rex illud rogat, velit condemnare Propositionem illam Johannis Parvi. A. 1414. d. 27. Dec.

Acta A. 1415. d. 9. Jan. Parisiis coram Rege in Senatu, nomine Academiae Parisiensis, pro maturanda legatione Regis ad Concilium Constantiense, ad res fidei controversas ibidem tractandas, causam nempe Johannis Parvi componendam.

Longa Propositio Gallici Legati Gersonis in Concilio Conſt. de doctrina Joh. Parvi Constantiae damnanda, contenta in prima Gersonis Oratione ad Concilium, nomine legationis suæ habita A. 1415. Vigil. Domin. Ramis Palmarum, quæ incipit: *Ambulate.*

Novem Assertiones Johannis Parvi, in Conſt. Concilio ad judicialiter condemnandum propositæ.

Quatuor Propositiones, de jure Episcoporum errores in rebus sacris notandi & damnandi.

Declaratio primæ assertionis Joh. Parvi, quis tyrannus dici possit &c.

Veritas, quod impedientis in Concilio condemnationem assertiorum Joh. Parvi, sit hereticus.

Oratio Gersonis ad Concilium, quod Assertiones Joh. Parvi *judicio fidei* sint condemnandæ, cuius initium, *Effimo me beatum.*

*Anonymi* prolixa Oratio ad Concilium, ejusdem argumenti.

Schedula circa declarationem falsitatis primæ assertionis Ioh. Parvi.

Alia Oratio Gersonis coram Concilio, pro maturanda illa condemnatione judicio fidei. Cujus initium, *Oportet hereses esse.*

Tres Conclusiones, quod Assertiones Joh. Parvi *judicio fidei* sint reprobandæ.

Propositio, pro declaranda rationabilitate condemnationis primæ Assertionis Joh. Parvi aliarumque.

Forma condemnationis, factæ in Concilio Generali Conſt. Sabbati 6. Iulii A. 1415. De prima propositione Ioh. Parvi.

Responsio ad objecta, sumpta ex quibusdam legibus & glossis, quæ videantur assertioni primæ Ioh. Parvi favere.

*Episcopi Atrebatenſis* longa Declaratio, in publico sessionis loco facta, quod novem Assertiones Ioh. Parvi non sint *judicio fidei* reprobandæ.

Sententiæ & opinioneſ aliorum *quinquaginta Theologorum*, quas sub juramento in Constantiensi Concilio de novem assertioribus Ioh. Parvi coram Iudicibus, nec exiguis plerique opusculis, ediderunt, pro sententia negativa, quod *judicio fidei* non sint reprobandæ.

*Petri de Alliaco Cardinalis Cameracensis* iudicium publicum, pro sententia affirmativa, quod *judicio fidei* sint reprobandæ.

Demonstrationes aliorum *sedecim Theologorum* satis prolixæ, pro sententia affirmativa, quod *judicio fidei* sint condemnandæ.

*Iohannis de Falkenberg* Theologi opusculum, sententiæ ac *judicio Petri de Alliaco* Cardinalis Cam. in Conſt. Concilio oppositum, pro vindicanda assertione Ioh. Parvi.

Eiusdem Ioh. de Falkenberga aliud opusculum, Gersonis demonstrationi & rationibus in Conſt. Concilio oppositum, pro tuenda assertione Ioh. Parvi.

Eius-

*Eiusdem Ioh. de Falkenberg*, tertius libellus, in Const. Concilio oppositus certis propositionibus publice exhibitis in causa Joh. Parvi.

*Gersonis* publica Oratio, in Const. Concilio habita, qua contumelias & injurias illorum declinat, qui causam Joh. Parvi defensiuri, injurii sint in Regem Galliæ. Ut sit *Apologia pro Rege Carolo VI*. qui causam Joh. Parvi condemnaverat.

Quærelæ *Gersonis* frequenter repetitæ in Const. Concilio publicis coram Concilio Orationibus, de artibus pro impedienda judiciali condemnatione assertionum Joh. Parvi, adhibitis.

Protestatio *Gersonis* querula sub finem Concilii edita, quod Joh. Falkenbergii libellus, quo in causa Polonorum sententiam Joh. Parvi adstruxerat, in Constantiensi Concilio per Martinum V. pro Polonorum desiderio non esset damnatus.

*Eiusdem Dialogus Apologeticus*, De fatis controversiæ Joh. Parvi in Constantiensi Concilio.

Præcipua hæc sunt argumenta rerum arduarum, quæ in Constantiensi Concilio in negotio Joh. Parvi ultra triennium magna contentione, frequentissimisque nec parvis libris ea de re proditis, eruditorum manibus sunt versatae. Ceterum ex præclaris *Codicibus MSCtis* pleraq; hausta, aliis, ut supra monitum, servamus usibus: Ne nimia rerum moles, uno hoc opere cumulata, vel legentes terreret, vel & recensentem labore frangeret aut oppimeret. Dentur etiam sua cuique rei tempora, sua intervalla, suæ respirationes.

### De Pauli Voladimirī, Poloni, rebus Constantiensibus.

**T**ertium fidei argumentum, mox in Concilii exordio tractari coepit, de fide Christiana armis propaganda, negotium dedit *regio Polonorum Legato, Paulo Voladimirī*, viro erudito & cordato, qui, Polenos adversus Prutenorum Cruciferorumque injurias defensurus, *diversis opusculis* demonstrare fategit, *Christianam fidem armis propagare nefas, religionisque pretextu terras infidelium invadere, irreligiousum nec Christianæ indolis esse*.

Edidit autem hic in Constantiensi Concilio inter alia *Tractatum de Potestate Papæ & Imperatoris respectu infidelium*. Quem & in Concilio A. 1415. d. 5. Julii Germanicæ nationi obtulit. Ceterum hoc opus nostros hæc tenus fugit oculos, et si non desperemus, ejus nos aliquando compotes futuros.

Scripsit Constantiæ de eodem argumendo *alium libellum*, quem naeti dedimus, uti par erat, *Parte II. Demonstrationem, infideles armis ad Christianam fidem non esse convertendos: nec eorum bona invadenda aut illo nomine occupanda*.

Neque verò nudum sistere peregrinum decuit librum. Quapropter ex historia repeti debuit *questionis religiose occasio*, ea qua licuit brevitate. Quo fine ex *MSCtis diplomata* quædam *Règis Poloniæ Ladislai, & Witoldi magni Ducis Lituaniæ*, qui tunc primum ad Christianam fidem erant conversi, opusculo præmisimus.

De

De Brigittæ, Svecanæ,  
Hieronymi Pragensis, Grabonis Germani, Cisterciensium  
aliorumque Monachorum  
rebus Constantiensibus.

**P**osthæc ordo rerum in Concilio gestarum superioribus subjungere jussit Parte III. controversiam in Concilio ventilatam De revelationibus ac visionibus, Brigitticis pariter ac aliis, illa ætate frequenter jactatis.

Cum enim *Brigitta* esset regio Svecico sangvine creta, quod *Johannes Messenius*, Sueo, in *Theatro nobilitatis Suecanæ*, *Holme Suecorum A. 1616. in fol. edito*, *Tabulis XLI. & XLII.* demonstravit, matrimonio juncta magno Consiliario regio *Ulphoni Gudmaro*, qui obiit A. 1344. illius devotio, pietas, & divinarum revelationum, inspirationum ac visionum studium, ingentem meruit admirationē. Tantoq; delicatior visa hæc religiositas, quanto in celsiori feminei sexus fastigio, regii sangvinis gloria, conspiciebatur. Postquam autem ab obitu à Papa Romæ inter sanctas esset relata, indignantibus licet bonis ac eruditis viris, inter quos *Henricus de Hassia* in suo *Concilio Pacis*, c. 18. ut videre est supra *Tomo II. Parte I. f. 65.* In Constantiensi postea Concilio à Johanne 23. adhuc florente, et si nutante, quæsita à Suecis solennis ejus & nova canonisatio. Quam *Acta Concilii Tomo IV.* delineabunt. Ceterum et si Johannes 23. facilis esset & indulgentissimus in hac re, non defuere tamen iterum viri eruditii in Concilio, qui hanc indulgentiam, tam prompte divas creandi, taxarent, deque revelationibus ac visionibus disputarent, eas in sexu præcipue sequiori non facile approbandas esse, rati. Qua occasione *Gerson*, magnæ in Concilio ex eruditione & legatione regia autoritatis vir, eruditum & concinnum edidit in Concilio opusculum *De probatione spirituum*. Quo non solum prudenter de venditatis visionibus judicavit, sed & sagax & cautum quarumlibet novarum visionum examen delineavit. Tametsi verò *Serenissimus* *bujus Operis Conditor*, DUX RUDOLPHUS AUGUSTUS, ante aliquot annos publici boni causa hoc Geronianum opusculum resuscitari, imo & in *Germanicam dialectum* ob insignem suum usum transfundì curaverit: Opusculi tamen pretium, judicii in illo vis ac consiliorum gravitas, non admisit ab hac excludere digestione. Maxime quod ex *Augustissima Cesarea Bibliotheca Vindobonensi* nitidum & curatum naucti essemus *Codicem MSCrum*.

Successit Parte IV. *Gersonis judicium*, Constantiæ latum, de *Protestatione & revocatione in rebus fidei*, pro eluenda hæreseos nota. Quod enim in causis religiosis in Concilio tractandis, hoc ageretur, ut suspecti ad palinodiam ducerentur, in multis causis contigit, ut in litem vocati vel protestarentur, se nihil dicere velle quod à fide vera esset alienum, vel & pristinam suam doctrinam abjurarent. Protestati Hussus, & Johannis Parvi sectatores, ipseque Pontifex Benedictus XIII. aliique. Sententiam abjurarunt aut revocarunt Hieronymus Pragensis, Grabon, cæteriq; plures. Hac itaque occasione disputatum in Concilio de virtute, valore modisque protestandi aut revocandi in causis fidei. Deque suspicione hæreseos ser-

*servanda, vel & abicienda.* Quamvis autem non omnino ignotum esset Gersonianum hoc judicium, integritas tamen historiæ, & nexus factorum in Concilio, perexiguum libellum dissimulare vetuit.

Excepit hanc litem *Parte V.* causa *Hieronymi Pragensis.* Hujus in Concilio ante rogam acta, vel ex historia vel ex *Tomo IV.* obviis *Conciliis decretis* constabunt. Dedimus hic duntaxat *ideam* ultimi de eo judicii ac *supplicii Constantiensis*, gemino Oratore, *Iacobo Episcopo Laudensi, & Poggio Florentino*, lineas ducente. Misimus autem *Geminam Narrationem* aliam prolixam *de fatis Hieronymi Constantiensibus*, à spectatoribus quibusdam in Concilio præsentibus, tunc temporis consignatas, alibi obvias. Nec huc accivimus notum *sermonem*, in Bethlehem Pragæ illo tempore habitum *de Husi & Hieronymi busto*.

Dein accersere contigit *Parte VI.* ex *MSC. Cæsareo Vindobonensi, Petri de Alliaco, Cardinalis Cameracensis*, luculentum monumentum, *De erroribus Calendarii Ecclesiastici per Concilium emendandis.* Quamvis verò in Concilio Romano A. 1412. à laudato Cardinale hoc negotium esset tractatum apud Papam Johannem 23. Dilata tamen ejus decisio usque ad finem dissidiorum inter tres Pontifices tunc grassantium. Postquam ergo in Constantiensi Concilio tres illi Pontifices sede erant moti, causam hanc Ecclesiasticam in lucem revocavit idem Cardinalis, rebus, in Romano Concilio gestis repetitis ac publice recensitis. Ast finem aut fructum nec in hoc Concilio vidit Cardinalis. Ut adeo in Concilio Basileenſi idem negotium resuscitandum esset per Cardinalem Cusanum, pari fortuna. Juvat interim observasse conatus & studia magnatum in nostro etiam Concilio, licet interdum suo frustrarentur eventu. Nil derogat virtuti anceps eventus.

*Parte VII.* congesimus judicia Doctorum Constantiensium de *cruenta illius temporis devotione Flagellariorum vel Crucifratrum.* Cui sanguinolentæ religioni mitigandæ moderata confilia aut mitia remedia quæsiverunt Viri in Concilio prudentes.

Alia lis fuit *Parte VIII.* commemorata, quam in Concilio movit Monachus Dominicanus, *Matthæus Grabon, De religione præter Monachatum salutari nulla.* Quod autem intelligerent viri Christiani & sapientes, nimium extolli Monachatum, & deprimi vitam Christianorum civilem, obviam huic jactantiæ eundum rati, *religionem veram ipsum esse Christianum demonstrarunt*, qui extra omnem Monachatum optime possit vel aptius longe consistere. Quare ad palinodiam hic deductus, tacere porro jussus, salva relicta Christianismi integritate.

Suscepta semel materia Monachatus, in Constantiensi Concilio tractata, pergendum in eadem judicavimus *Parte IX. X. XI.* Quibus cognata Monachalis quæstio, inter Cistercienses aliosque Monachos agitata, *de jure Monachorum ac Monialium in bona privata, redditus ac possessiones, complusculis libellis expedita.*

*De Wiclef, Angli, rebus Constantiensibus.*

*Superioribus rebus confectis, restabat, negotium in Concilio Wiclefiticum senarrare.* Satis autem fore credidimus, decretis de Wiclefo Conciliarib⁹, *Tomo IV.* comparentibus, hic præmittere proxima condemnationis Constantiensis *fundamenta*, in ipso Concilio posita. *Quo fine ex præclaris Tom. III.* (c) anti-

antiquis MSCtis haustos *duos* dedimus haud exiguos *tractatus* Constantiae paratos, quibus decantati jam ante Concilium *XLV*. articuli Wiclef*tributi* per Theologos Constantienses fuse examinati ac reprobati. Stitimus *geminam* illam *censuram*, à Constantiensibus Theologis profectam, *Parte XII. & XIII.*

Nullum nobis fuit relictum jus, vel ex diserto DUCIS SERENISSIMI mandato, vel ex historicæ relationis innocentia, justâque affectuum fuga, inquire in singula: Sive num Wiclefi ea mens fuisset, sive num curate refutata. Alius hæc merito fori esse judicatum, cum historica hæc collectio ab intempestivæ censuræ labe omnino debeat esse immunis.

### De Jacobi de Misa, s. Jacobelli, Bohemi, rebus Constantiensiis.

**I**N unum postremo cumulum *Parte XIV--XXIII*, congeffimus *res Jacobelli*, in Concilio non minori studio & motu agitatas, quam aliæ omnes. Sparsas illas per omnes Concilii annos quod constaret, operæ pretium fore creditum, in unum illas eumque postremum convehere locum. Quo rectius tota negotii & controversiæ posset observari series. Concernit autem *Controversia* hæc *Constantiensis* doctrinam à *Jacobello s. Jacobo de Misa* sub Constantieni Concilio Pragæ fuscitatam, *De communione plebis sub utraque ut appellant specie*, sive, *de usu calicis*.

*Bobenum* fuisse hunc Jacobellum vel Jacobum, natum ex oppido *Misa*, in flumine *Misa*, in districtu aut circulo Pilsenensi sito, *Aenea* etiam *Sylvio* in *Hist. Bob. c. i.* memorato, non solum apertum *nomen*, sed & ex antiquissimo Codice MSCto Cæsareo Vindobonensi alterum cognomen nunciat, ab eodem oppido desumtum, quod non solum à flumine alluente *Misa*, sed & proprio nomine *Strziebro* appellatum. Hinc dictus *Jacobus de Misa*, alias *de Strziebro*. Ut non sit opus Bohemiae eum multis vindicare, in re manifesta. Cum verò alii *Misam*, oppidum & flumen, *Misnam* etiam vocitasse legantur, lubrica suspicio inde nata de oppido *Misena* vel *Misna* Germaniæ, cui natales debuerit.

*Bobenus* hicce *Jacobus*, circa Annum 1414. in Constantiensis Concilii exordio, in Urbe Pragensi, ab eruditione & eloquentia clarus *Pastor*, in æde S. Michaelis Ecclesiastico functus officio, Hussi partes cum aliis sectatus est. Sensitque non solum motus Hussi & Hieronymi Pragensis in Bohemia, sed & abeuntes ad Constantiense Concilium vidiit. Absentibus illis, non solum strenue prosecutus est, quod Hussus agere orsus erat, sed & nova plane molitus. Husso namque Constantiæ hærente, subito quæstionem *De Communione populi Christiani sub utraque specie* in cathedra Academica & in suggestu suo movit.

Videri quidem possent Hussi hæc fuisse semina, quæ illo absente succrevissent, inque illam segetem mature adolevissent. Verum, ab *Husso non profectam banc esse rem*, universa illius seculi docet historia. Nec enim miratus sohlm Hus, dum, Constantiæ degens, hoc Jacobelli facinus inaudivit, sed & juxtra quosdam primùm haud obscure indignatus. Donec tandem à Bohemis per literas quæsitus, calculum adjecit, argumentis roboravit, ac Jacobellum non impedire jussit.

*Aeneas*

*Æneas Sylvius in Historia Bohemica c.35.* Jacobum de Misa ansam natum esse refert à Petro Drasensi, qui Jacobello Pastori Pragensi, familiari suo, suggesserit novum hunc ritum, argumentis ex scriptura & scriptis Patrum petitis. Æneam audivisse juvabit, qui postquam de Hussi doctrina disseruerat, addit, ut in antiquissimo codice legimus: *Nondum error de sacramento altaris irrepserat.* Sed attulit novam pestem Petrus Drasensis, id oppidum Misnæ supersitum. *Qui cum aliis theutonibus paulo ante Bohemiam reliquerat.* Cognitus inter suos, quia Valdensi lepra infectus esset, patria pulsus, velut bæreticorum asylum Pragam repetiit, puerorumque docendorum curam accepit. Apud Ecclesiam S. Michaelis per id temporis populum prædicando instruebat Jacobellus Misnensis, literarum doctrinæ & morum præstantia juxta clarus. Petrus hunc aggressus, mirari se ait, doctum & sanctum virum, qui divina eloquia plebis exponeret, errorem illum non animadvertisse communionis Eucharistiæ, qui jam pridem Ecclesiæ pessundasset. In qua sub una tantum specie dominicum corpus populo ministretur. Cum apud Johannem Evangelistam & Apostolum Christo dilectissimum, sub dupli specie panis & vini sumi jubeatur, dicente apud eum Salvatore: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Commotus his Jacobellus, cum perquisitis vetustis sanctorum doctorum codicibus, Dionysii præsertim & Cypriani, communionem calicis laudatam invenisset, prohibitus apud sacellum Archangeli Michaelis prædicare, in templo majore S. Martini cathedram sortitus, publice commovere populum cœpit, ne deinceps communionem calicis sine qua salvari nemo posset, quoquo pacto negligenter. Huic omnes bæretici consenserunt, baud modica gestientes letitia, quod articulam invenissent, in Evangelica lege fundatum, per quem Romanæ sedis vel ignorantia vel nequitia argui posset. Hæc Æneas, cuius verbis dein usus & Nauclerus.

Æneæ vestigia legere visus Jacobus Piccolomineus, Cardinalis Papiensis, Commentariorum libro VI. Nondum, inquit, de Sacramento altaris error irrepserat. Sed attulit novam pestem Petrus ab Dresensi oppido Misnæ, ex his unus, qui paulo ante cum Theutonibus Praga excesserant. Is enim pro Wicelitano inter suos cognitos, proindeque à civibus pulsus, Pragam repetiit, commune ac tutum bæreticorum asylum. Mox etiam ad tollendam inopiam literarum puerorum ludum instituit. Habebat eodem tempore prædicandi opus in æde Michaelis Archangeli Jacobellus quidam, doctrinæ & religione inter fideles celebris, eoque in opere assiduus. Hunc aliquando Petrus solus adortus, mirari se ajebat, doctum & sanctum virum, cui sacri codices quotidie essent in manu, qui plebem instruendam cœpisset, non advertisse inveteratum in communicando errorem quo tamdiu laborasset Ecclesia. in ea enim sub panis tantum specie ministrari populis sacramentum, cum apud Johannem Evangelistam, mysteriorum Dei revelatorem, sub vini quoque specie assumendum monstraretur, dicente illo: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis sanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis!* His atque aliis persuasus Jacobellus, perquisitis sanctorum codicibus, Dionysii præsertim ac Cypriani, cum laudatam apud eos communionem calicis invenisset, non modo ipse monitori Petro assensit, sed ut idem sentirent ceteri, publice svadebat. *Quam ob causam ab*

rectoribus prohibitus est illuc prædicare. Sed ille ad majorem Ecclesiam convolans, ibique pestilenti liberam orationi cathedram nactus, populum monebat, ne deinceps communionem calicis, sine qua salus esse non posset, negligerent: Accipere illam ipsum inducerent animum, & ministrari à sacerdotibus postularent. Huic heretici illico omnes assensere, lætitia affecti, quod autoritas tandem una suorum dogmatum esset inventa, & fundamen-tum Evangelicæ legis habens, & inscitiam Romanæ sedis convincens.

Ab Ænea Sylvio ostensum tontem, Petrum nempe quandam, unde hauserit doctrinam suam de calice Domini Jacobellus, monstrat & Dubravius, Hist. Bob. f. 23. Husso & Hieronymo absentibus (Constantiæ in Concilio existentibus) nihilominus discipuli eorum disciplinam quam receperant arcte tenebant, accurateque illam apud Pragenses defendebant, quotidie novi aliquid de suo adjicientes. Tandem Petrus quidam Misnensis, quasi magnum quiddam & abstrusum, ac non lippis notum & tonsoribus, invenisset, gestiens, ad Jacobellum popularem suum, qui Pragæ ad S. Michaelem Evangelium annunciat, accessit, eique verba Iohannis Evangelistæ ex Cap. 6. descripta prælegit, quæ sic se habent: *Nisi ederitis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Videsne, inquiens, quanto in errore versetur nunc Ecclesia, quæ alteram eucharistiæ partem, sine qua vita non est, plebi adimat. Cum nugator ille potius tota erraret via, qui verba illæ Domini de sacramento altaris, quod in ultima demum cœna institutum fuit, interpretatus sit, veritate aliter se habente.* De se namque ipse Dominus apud Iohannem loquitur, deque verbo suo quod caro factum est, datque vitam omnibus in se credentibus. Sed in tanta errorum caligine, qui late diffundebantur, facile erat, ut stellæ erratice iter suis ostenderent devium. Nam si rectam institissent viam, nunquam illis Hus è carcere rescripisset, illos tandem reperiisse poculum, quod sibi mortem acceleraret. Iam enim de capite in Concilio decernebatur, & inter alia, quæ ei objiciebantur, quo celerius damnaretur, hic etiam articulus de calice eum prægravabat, quasi illo autore propinatus. Sed & ille Theologus Germanus vaticinari visus, qui Iacobello bujus potius (potum) primo exprobravit: *Non tu, inquiens, calicem salutis, sed cyathum furoris & poculum ruinæ Bohemis suppeditasti, ut illo hausto furiant, vomant, insaniant, & mutuis ad extremum præliis inter se dimicent. Quod paulo post ita contigit. Vetante enim Concilio Bohemis usum calicis, deinde etiam execrante eos, qui adversus vetita ire auderent, tantum absuit, ut incepto abstinerent, ut pro irritamento potius concilii decreta babuerint, non solum ad institutum suum continuandum, sed etiam ad illud undecunque augendum.*

Ex quorum aliorumque testimoniis haud obscurum, non ab Husso Jacobellum edoctum, nec ansam naustum, nisi à Petro quodam. Nostrum verò non est fusius inquirere, quis hic Petrus, sive Drasensis sive Trenensis, sive Dresensis antiquis appellatus, viam Jacobo monstrans: Utrum & hic Bohemus fuerit, Jacobi conterraneus, ex oppido quodam, Misæ oppido & flumini vicino, Tauschcow ob der Miss, oriundus, unde & Misenus vel Misnensis, pari ratione, uti Jacobellus verè Bohemus Misnensis dictus, ad Misam quippe Bohemiae uterque natus: Unde corrupte pro

pro *Tausensis* dictus dein sit vel lingvæ vel manus lapsu, *Trasensis* vel *Tresensis*, quod mihi fit verosimile: An vero *Petrus*, ex Bohemiæ vicino *Marchionatu Misniæ*, oppidoq; *Dresa*, natales duxerit, gente Germanus, quod *Jacobus Thomasius*, inclitus olim *Academia Lipsiensis Professor*, in *Dissertatione historica de Petro Dresdeni*, adstruere annis, Germaniæ eum vindicaturus. Mirari interim subit, qui factum, quod *Dnibravus* alioq; rerum Bohemicarum periti, *Jacobellum* appellant *popularem Petri Misnen sis*. Vel ergo immemores hi fuerint, *Jacobellum* è *Misa Bohemiæ* natum: Ut crederent, & hunc *Jacobellum* Germanum, Misnensem, fuisse, qui tam extra dubium *Bohemiam* ortum debet: Vel persuali hi fuisse videbuntur, *utrumque* non Germanum sed *Bohemum* extitisse.

Admissis autem his familiaribus colloquiis inter Petrum & Jacobel lum, ansa quidem privatim data fuerit per Petrum Jacobo: Nihilominus *Jacobus* hic *primus* illo tempore extitit, qui in publicam scenam hanc proferret De communione calicis quæstionem.

Neque vero inficias eundum, quod *Rockizana* in Concilio Basileensi monuit, ante hunc *Jacobum*, Pastorem Pragensem, in eadem urbe *Pragensi*, ante viginti & quinque circiter annos, idem plane negotium, ejusdem ordinis virum aliud, *Ecclesiæ pariter Pragensis Pastorem Magistrum Matthiam*, *Bohemum*, *Magistrum Parisensem*, tentasse, plebemque ista docuisse, & ad usum calicis invitasse, imo ritum jam exercuisse. Qui tamen per magistratum Ecclesiasticum abstractus & abterritus manum remisit, ut omnes conatus subito expirarent. Memoria interim post tam breve tempus viginti ferme annorum apud aliquos istius facti Pragæ potuit superesse, modò non ipse Matthias adhuc fuerit in vivis. Unde forte Petrus iste ansam sumserit, Jacobello, autoritate pollenti, privatim idem suggerendi negotium. Quid si & Matthias ille scripta de ista quæstione reliquerit, Petro visa aut lecta? Siquidem A. 1410. ab ArchiEpi scopo Pragensi cum libellis quibusdam Wiclefi, Husfi, Milicci, Hieronymi Pragensis, M. Matthiae quoque Parisiensis scripta sunt damnata, teste Theobaldo.

*Johannes de Polemar*, cum *Rockizana* in Basileensi Concilio de Communione calicis contendens, in responsione sua agnoscit quidem, *Pragæ apud S. Nicolaum Magistrum Matthiam* pro concione populo nova de Sacramento quoque cœnæ prædicasse, ait palinodiam in Synodo Pragensi A. 1389. cecinisse, ait. In quibus tamen articulis, ut *Polemarus* eos refert, communionis calicis clara mentio haud facta. Unde in dubio relinquit *Polemarus*, an Matthias calicem populo dederit, an secus. Hoc interim certum esse ait, eum prohibitum fuisse. *Sive*, inquit, *ipse incepit hanc novitatem prædicare, sive sub utraque specie communicare, tamen sua doctrina sive practica non habuit progressum*. Adeoq; post longius temporis intervallum sub Const. Concilio, *primus hanc rem publice in cathedram* & *suggestum Prague produxit Jacobellus*. Qui vel eapropter à plebe pro Christi Apostolo habitus, ut ait *Aeneas Sylvius*, in *Præfatione Bohemicæ historiæ*. A quo & *Jacobite* consortes Bohemi appellati, ut notavit A. 1421. in prolixo contra Husitas libro *D. Hofman. Patet*, inquit, *errare modernos in Bohemia hereticos, videlicet Jacobitas, à quadam Jacobello dicto de Misa, ut æstimo, exortos*.

*Et primum hunc Iacobum de Misa* hujus ritus resuscitati receptaque consuetudinis mutatae autorem extitisse, ab utraque contendentium parte, ab obitu etiam illius, in Concilio Basileensi, publice frequenter est pronunciatum *Rockizana*, calicis acerrimus in Basileensi Concilio defensor, Jacobelli cum viveret discipulus, in suis Orationibus, coram Concilio habitis, saepe hanc laudem inventionis aut renovationis Jacobello magistro suo tribuit, longam pro illo texere aplogiam solitus.

*Job. Polemar*, in Oratione contra Rockizanam cum *Johan. de Ragusio* contendentem, in Concilio Bas. dicta: *Consuetudinem*, inquit, *Ecclesie per Magistrum Jacobellum*, in artibus *Magistrum*, dicit *Job. de Rakizana*, cœpisse corrigi. Sed sicut diligenter inquisita veritas docet, ad plenarii Concilii (*Const.*) confirmationem perduta, veriu creditur per Jacobellum corrupti cœpisse non corrigi. *Idem* in altera supra notata oratione in Rockizanam: *Comparationem* prosequitur (*Rockizana*) inter Doctores nostros & quendam Jacobellum, qui primus fuit hujus novitatis in regno Bohemiae inventor.

*Pius quoque secundus, Pontifex*, qui in historia sua Bohemica cum Petro Jacobelli meminerat, in Responione, Legatis Bohemiæ, liberum communionis sub utraque usum juxta pœta Basilensia confirmari cupientibus, data, cum de Constantiensis ac Bafiliensis Concilii decretis nonnulla commemorasset, *Jacobellum* novum usus illius autorem his pinxit coloribus: *Illum damnabilem & prorsus hereticum iudico, si quis afferit, talem communionem (sub utraque specie) ad salutem esse necessariam*, sicut Jacobellus putavit, & qui eum fecuti sunt. *Magna hominis illius presumtio, vel potius temeritas, qui solis imbutus grammaticæ disciplinis, quibus pueros instruebat, ausus est sacros Evangelii sensus attingere, & ad suum ingenium arcana filii Dei verba interpretari. Non est Grammaticorum aut Dialecticorum secreta divini codicis referare. Theologorum est & sacra pagina Professorum ista cognitio, & eorum, quibus data est scientia clavis, que aperit & nemo claudit, claudit, & nemo aperit.* *Eunuchus ille in Actibus Apostolorum, qui ex Æthiopia venerat in Jerusalem, cum legeret Esaiam, interrogatus ab Apostolo Philippo an intelligeret qua legeret: Et quomodo, inquit, possum intelligere, nisi exponatur. At Jacobellus absque, expositione, absque, Doctore, ausus est docere, qua non didicit, & absque, calicis bibitione salvati neminem, asseverare, propter verba Salvatoris apud Johannem dicentes: Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis, verborum tantum & literarum annotans sonum, mentem prateriens &c.*

*Idem* in Bulla contra Georgium Poggioratium Anni 1463. 4. Cal. April. *Dudum, inquit, inclytum Bohemia regnum, quod Christianum & fidelem populum habere consuevit, quoad hanc perniciosam Jacobelli & suorum sequacium in aliquibus partibus Husitarum nuncupatam hereticam pravitatem, pro magna ejus parte prolapsum, ut communionem eucharistie sacramenti sub utraque specie, vini videlicet & panis, quoad laicos & non confidentes, de necessitate fore eternæ salutis profiteatur.*

*Primus itaque cum existeret Iacobus de Misa*, qui publice profitetur calicis communionem, rem hanc ita aggressus esse memoratur. Ante omnia theses hac de re conscripsit, quas more seculi in Academia Pragensi ad disputandum in cathedra proponeret, memorante Hagecio, aliisque. Quam primam hujus argumenti disputationem suam Academicam positionem ipse postea appellare & allegare solitus est.

Qua disputatione inter contentiones more usitato finitâ, cuius præcipua argumenta ab Hagecio, Theobaldo, aliisque notata: Proxime in templo S. Michaelis plebem publice idem docere non dubitavit. Quem secutus alius Pastor, Sigismundus Rzepanski, proximo die paria populo pro concione inculcare aggressus, ipsum quoque usum calicis in plebem introducere non distulit.

*Exclu-*

Exclusus mox à sua iithac *Michaelitana Ecclesia* Jacobellus, à Martinianis receptus, magnum plebis applausum, mox Magistratus, urbis, & Academiæ consensum est consecutus. Interea nec intermissum à superioribus Ecclesiasticis, illum vel monere vel terrere. Ad *Vicarium in spiritualibus* accitus, et si comparuit, fleti tamen nequiyit, quin tanto cum aliis animosius perrexit. Ecclesias visitare alias, remque instruere contendit. *Excommunicationis* fulmine petitus, animum non abjecit, intrepide semper idem agens. Dum hæc agerentur, *Theologi* hunc gregatim aggressi, si qua acie *calami* præstarent, quod interdicti fulmine effici non poterat. Quod igitur eruditionis laudem ac eloquentiaæ famam dudum obtinuisset, pro dignitate illa molliusculæ ab his, ab aliis severius exceptus. Dein absque longiori mora ad *Constantiense Concilium Bohemicum* hoc novum negotium delatum, à quo majori autoritate absolveretur, quod *Theologi* hinc inde erant orsi. Hinc diu multumq; in ipso Concilio hac de re consultatum, quæsitum, ac disputatum. Ut pars *Actorum Concilii*, nec minima, nec levissima fieret. Duravitque hoc bellum literarum ad finem usque Concilii. Quo finito calami plumæque versæ in hastas & enses. Ut pro atro colore scriptorio, utrinque manus tingentur chartæque non magis ac capita coccineo perfunderentur sanguine.

*A libellis ad bella* postquam pro calice utrinque dimicantes essent progressi, anticipiti fortuna post varios conflictus, cum ad novum Concilium Basileense cuncta instruerentur, Jacobellus tandem A. 1429. Pragæ diem obiit, hoc illi posito monumento, teste Theobaldo: A. D. 1429. in *Vigilia Laurentii mortuus est venerabilis Vir Jacobus de Misa, Magister in artibus & S. Theologiæ Baccalaureus formatus, profundus interpres scripturarum & dignæ communionis præcipuus promotor.*

De cetero, SERENISSIMO DUCI, RUDOLPHO AUGUSTO, AUGUSTÆ SAPIENTIÆ ET PIETATIS VERE CHRISTIANÆ PRINCIPI, PACIS AC BLANDÆ TRANQVILLITATIS AMANTISSIMO, visum istud Constantiensis Concilii negotium memoria valde dignum. Cum sacer calix, qui Christi sangvinem pro salute animarum fusum continere debebat, verteretur illa ætate tristi exemplo in poculum cruoris humani, in perniciem tot innocentium Christianorum profusi. Non sine insigni animi ægritudine pristina hæc fata intuitus PRINCEPS OPTIMUS. Quod namque swave vinculum amoris ac societatis, in calice quoque sacro à Christianis sumpto, esse oportuerat, in funes, in catenas, in compedes, in carceres, in vulnera, in cædes, uno nomine in odia, & animorum inter Christianos divortia tantum non immortalia mox evasisse, impense dolet PRINCEPS CHRISTIANUS.

Proinde svas inter Christianos & justi Deoque grati consortii amorisve mutui desiderium, ardentissimaque in Deum, amoris fontem, devo-tio, DUCEM PIUM movit, ut clementissime juberet, rem illam, sub Constantensi Concilio de isthoc divinæ gratiæ symbolo gestam, curate investigare, ita, ut non duntaxat Iacobi Misæi, sed & Theologorum, rem illam tunc discutientium ac reciprocis scriptis ventilantium, antiquissime ac

ac genuina monumenta, ab utraque parte edita, ex *MS. Ctorum reliquiis* eruuerentur, eōq; ut nata essent, ordine distributa ac digesta, sincere, pie, ac religiose, sine omni affectus acerbitate sisterentur.

Quæ pia DUCIS jussa sedulo & pertinaci labore exequi par fuit. Factumque felici fato, ut *præcipua* ab utraque parte monumenta, diu quæsita & desiderata, in magnis *antiquissimorum* *MS. Ctorum* cumulis tandem deprehenderentur, ac suis interdum notis privata dignoscerentur. Et *insignis* quidem horum *præsto* est *numerus*, cum *decem* sint *libri*, nec parvi, nec indocti, quos hoc Volumine cum aliis rebus Constantiensibus fitimus. Quanquam verò de *temporis* *puncto* & *justis loci* cancellis in aliquibus monumentis curata haberi notitia non potuerit hactenus, in rebus tam remotis & ignotis: Augurio tamen non vano pleraque nos assēcotos opinamur.

Arque ita hujus Tomi *Parte XIV.* ex *MS. Cto Academiæ nostræ Julie* in fronte collocare datum est *Anonymi Theologi librum*, quæ epistolæ formam præ se fert, ad *Jacobum de Misa*. Quo *Jacobi Misæ* doctrina De communione plebis sub utraque specie, in primo statim controversiæ exordio A. 1415. examinata. In *Capita partesque minores*, quo antiquum *MS. Ctum* pro more destitutum, *distingvere*, nostri seculi decor & lectoris commodum imperavit. Quod & in ceteris omnibus omni studio *præstare* sumus annisi. Neque verò diu circumspicere tempus permisit, quis ille *Theologus*, libri autor, num *Dinkelspuel*, *Viennensis Academiæ Professor*, aliasve, in Concilio vel extra illud isto existens tempore: An vel ipse *Doctor Broda*, *Academie Pragensis Theologus Professor*, qui consulto primùm nomen suum dissimulans, peregrini Germanique Theologi habitu amictus, prodire maluerit, quam directe Jacobum aggredi, quod deinde fecit. Id quod vel inde conjici posse videbatur, quod Broda postea iisdem quibus hic *anonymus* instructus argumentis, imo iisdem saepe usus verbis. Etsi unum alterius legere vestigia omni seculo fuerit usitatum. Accedebat, quod istam dissimulandi primam sollicitudinem illustrabat, quod *Broda* antea Hussitarum quoque partibus non plane inimicus, quin fautor extiterat, qui & regiminis Ecclesiastici maculas notasset. improbasset ac corripuisse, æque ac Collega *D. Palezius*, qui Husso antea addictus abusus Ecclesiæ palam arguerat. Mutatâ itaque sententiâ, exemplo Palezii, vel pristinæ amicitiae memoria, vel ingenuus pudor retinuisse videri poterant Brodam, qui suum celaret adhuc nomen, molliorique stilo Jacobellum moneret. Sed liberum de autore esto lectori judicium.

Succedit ergo *Parte XV.* memoratus *D. Broda*, Jacobum Pastorem Pragensem de resuscitato novo communionis plebejæ ritu caliceque ministrato reprehendens. Etsi verò non plane constet an integrum hoc sit opusculum, dedimus tamen, ut in *MS. Cto Cæsareo Vindobonensi* offendimus. *Broda* verò *autori* hoc opusculum acceptum esse ferendum, majus illius opus alterum, à Jacobello postea excussum, abunde demonstrat.

His jungere oportuit *Parte XVI.* ex *MS. antiquissimo Cæsareo Vindob. Responsonem Jacobelli*, qui argumenta Brodæ in majori ejus contra Jacobellum

bellum scripto proposita, ordine & fuse examinavit, suam distinctius de usu *calicis in plebe Christiana*, mentem declaraturus. Jacobello ritus resuscitati auctori deberi hoc opus, non duntaxat diserta docet *in scriptio operis*, in MSCto Vindobonensi obvia, quam suo loco expressimus, sed & ipsa confessio auctoris, qui se *Jacobum* in libro memorat. Quod & filum totius libri confirmat, qui de causis ab autore libri restituti ritus perpetuo tractat.

Postquam igitur Broda aliquie cum Jacobo, Pragensi Pastore, litem orsi erant, res ad Constantiensis Concilii Theologos delata horum sententiam publicam est fortita. Theologorum proinde Constantiensium definitio nem, Parte XVII. ex MSCto Academiae nostrae Julie sistere par & æquum fuit. Ex quibus Theologorum Conclusionibus formatum mox in concilio decretum condemnatorium. Ista Constantiensum Theologorum Conclusiones proxime à fine Concilii A. 1421. in vaso contra Husitas opere laudavit & missis probationibus repetit D. Hoffman, Theologus Lipsiensis, ut ex gemino liquet Noribergensi ac Lipsiensi MSCto. Patet insuper, inquit, per Conclusiones Doctorum Concilii Constantiensis, quæ sunt sex. Prima: Christus post Cenam instituit & ministravit sub specie panis & vini sui sanctissimi corporis & sanguinis Sacramentum. Secunda: Non obstante hujusmodi institutione & ministratio, laudabilis & approbata consuetudo Ecclesiae servavit & servat, quod hujusmodi sacramentum non debet confici post cenam, nec recipi a Christi fidelibus, nisi in casu infirmitatis aut alterius necessitatis mortem comminantis. Tertia conclusio: Licet in primitiva Ecclesia hujusmodi sacramentum a Christi fidelibus reciperetur sub utraque specie, tamen ad evitandum aliqua pericula potuit simili aut majori ratione introduci & introductum est, ut a fidelibus conscientibus sub utraque specie, & a laicis sub speciebus panis tantum suscipiantur. Quarta Conclusio: Cum hujusmodi consuetudo sit ab ecclesia introducta, & diutissime ex causis rationabilibus observata, babenda est pro lege, quam non licet reprobare, aut sine autoritate Ecclesiae pro libitu immutare. Quinta conclusio est: Dicere, quod banc consuetudinem aut legem servare sit sacrilegium aut illicitum, censeri debet erroneum. Sexta Conclusio: Perlinaciter afferentes oppositum præmissorum, censendi sunt heretici, & tanquam tales arcendi & puniendi. Has Conclusiones Doctorum Concilium approbavit, tanquam veras & licitas, ab omnibus Christi fidelibus sub anathemate observandas. Hæc olim Hofmannus.

Neque abjecere aut dissimulare integrum fuit, ex demandati negotii ordine atque tenore, Vindicias Jacobi Misæi, quibus suæ doctrinæ innocentiam sinceritatemque adversus illas Theologorum Constantiensium conclusiones, Conciliique sententiam decretoriam muniret. Suppeditavit hoc opus, Parte XIIII. Codex MSCtus Academiae Lipsiensis.

Neque excludi debuit alterius Anonymi Theologi opus novum, haud exiguae molis, eodem illo tempore A. 1415. in controversiæ exordio proditum, *Jacobo de Misa oppositum*, quo disquisitio de *calicis in plebe usu sacro* fuse superiorum exemplo ulterius continuata. Dedit & hunc librum Parte XVIII. recensitum antiquus Codex MSCtus Bibliothecæ Cæsareae Vindobonensis, A. 1421. à Stephano VValtheri scriptus.

Post frequentes illas disquisitiones, *Pragensis Academia* in partes Jacobi cedens, editâ *confessione publicâ*, additaque ad plebem *exhortatione*, quæ ad illum calicis religiosum usum accederet, Constantiensis Concilii Patres denuo provocavit, & ad ulteriorem ejusdem sacræ rei à Jacobo advectæ considerationem calcaria addidit. Concilium proinde Theologis injunxit curationibus scriptis Jacobo Misæo sociisq; obviam ire. Qua occasione in *Concilio*, ex decreto Antistitum, primum *Gerson* breve exhibuit *Consilium* rebus his componendis consecratum, quod videre est *Parte XX.*

Speciatim à Concilii Patribus negotium hoc datum *Mauritio de Praga*, Theologo ac Professori Pragensi, quem quidem difficillime antea in Collegium suum Theologi Pragenses admissuri, jussu Pontificis tandem Collegam nacti erant. Hic in *Constantiensi Concilio* præsens, jussa Concilii executurus, geminum edidit Concilii autoritate librum *contra Iacobum*, sibi ab eruditione & genio plane notum. Primum ejus *Constantiense scriptum* polemicum, A. 1417. post novam *Pragensium confessionem* in Concilio exaratum, Iacobo ejusque doctrinæ de communione calicis oppositum, dedimus *Parte XXI.* ex MSCto gemino, *Cæsareo Vindobonensi & Electorali Berolinensi.*

Alterum ejusdem *Mauritii de Praga* opus, eodem anno pari Concilii jussu atque autoritate consignatum, quo *Iacobi libellum De Consensu primitivæ Ecclesiæ quoad communionem plebis sub utraque specie*, discussit, proximum obtinuit cum *Iacobi libello* locum, *Parte XXII.* Debetur & hoc, felici fato, MSCto *Codici incomparabili Cæsareo Vindob.*

Postremo, cum intersit, scire, in isthoc Constantiensi negotio, sacrum concernente calicem, à Jacobo Misæo plebi vindicatum, quæ fuerit tunc *sententia Iacobi de præsentia corporis & sanguinis Christi in sacra cæna sub utraque illa specie*: Operæ pretium fore visum, peculiarem de isthac quæstione *Iacobelli librum*, quem cum aliis nacti sumus, superioribus jungere. Quod autem certus non plane constaret annus, quo Jacobellus edidisset, in superiori cumulo juxta annorum seriem instructo locum non invenit. Neque verò ingratum lectori fore judicatum, si instar *appendicis* attexeretur. Ne igitur vel negligentiae vel consulti contemptus notam nobis inurat lector, antiquarum rerum plenam scire a vens formam habitumq; genuinum, P. XXIII. recensuimus laudatum *Iacobelli monumentum*, Constantiensis Concilii ætate editum, *De vera existentia corporis & sanguinis Christi in S. cæna. MSCtum*, ex quo hausimus, Augustissimæ Bibliothecæ *Cæsareæ Vindobonensis*, ætate utriusque Concilii Conſt. ac Basil. paulo est recentius, descriptum quippe A. M. CCCC. LII. ut sub finem libri memoriae traditum. Magna quoque hujus libri pars in antiquo MSCto *Academæ nostræ Juliæ* comparet. Ast integrum non nisi in MSC. *Cæsareo Vindobonensi* deprehendimus.

Sic habebis, *Christiane lector*, *Constantienses Jacobelli res*, cum illis, quæ lucem affundere poterant. Alia, ab eodem autore profecta, quæ vel invenire quæsita nondum licuit, vel ad præsentem quæstionem non aperte colliment, jure meritoque in aliud rejecimus tempus: Ut sunt, quæ possidemus, *De purgatorio animarum post mortem*, nec non *De iuramentis*

*vamento. Quantumcunque enim & in ipso Constantiensi Concilio hæ quæstiones moverentur, quod in Bohemia jam essent agitatae: Nolumus tamen his quoque adverbendis opus per se satis grave ac laboriosum longius diducere aut extendere, nobisque non recensendi labore, sed ex Typographiæ ministrorum tarditate vel negligentia tedium augere.*

His bene utere, bone lector, memor *humanae fragilitatis*, quæ absque omni dissensione nec Ecclesiam linquere sustinet immunem: *Memor pacis & gratæ tranquillitatis*, quæ optimum ægerimæ vitæ condimentum: *Memor denique nostræ in recensendo sinceritatis*, qui nuda enarrationi acquiescere jussi omnes removimus aculeos, ne vel veteris vel nostri ævi quenquam vel mollissime pungeremus. Age, *divinæ providentie & inscrutabilis regiminis in antiquis mundi & Ecclesiæ fatis clara vestigia* cominus & religiose intuere, & Deum pacis, qui humana pectore amore combinet, devote precare.

## ELENCHUS

### Autorum, Librorum ac Capitum Tomi Tertii rerumq; præcipuarum Index.

#### PARS I.

**D**E Rebus Constantiensibus Hussi.

*Jacobi Episcopi Laudensis Oratio in supplicium Hussi, coram Cæsare Sigismundo totoque Constantiensi Concilio in publica sessione A. 1415. die Sabbati, 6. Junii dicta. Ex antiquissimis Codicibus MSCis, Cæsareo Vindobonensi, & Ducali Brunsvicensi. Fol. I. seqq. Conferantur supra Prolegomena hujus Tomi, Cap. II.*

#### PARS II.

*De rebus Constantiensibus Johannis Parvi, Galli, breviter f. 6. Distinctius supra in Prolegomenis hujus Tomi Cap. II.*

*De rebus Constantiensibus Cruciferorum de Prussia f. 6. seqq.*

*Ladislai, Regis Poloniæ, & Witoldi, Magni Duci Lithuaniae, publica de Cruciferis querela. fol. 6. seqq. Ex MSC. Lipstensi.*

*Ladislai Regis, & Witoldi Ducis, Epistola ad Cæsarem Rupertum, ob Cruciferorum invasiones querula, f. 8. Ex MSC. Lipstensi.*

*Pauli Voladimiri de Cracovia, Poloni ad Constantiense Concilium Legati, Demonstratione, Cruciferis de Prussia seu ordini Teutonico opposita, Infideles armis & bello non esse ad Christianam fidem convertendos, nec eorum bona invadenda aut illo nomine occupanda: In Constantiensi Concilio publice oblata. f. 9. seqq. Ex antiquissimo Codice MSC. Cæsareo Vindobonensi.*

**CAP. I.** De jure Christianorum in terras infidelium, f. 10.

**CAP. II.** De ordinis Teutonici in Prussia machinis ac prætextu sub nomine religionis quasvis regiones sibi subjugandi,

**CAP. III.** Christianos non habere jus sub specie religionis propagandæ fidelium regiones invadendi. Neque indulgentia vel literis aut privilegiis Cæsarum & Pontificum, ordini Teutonico datis, jus hoc acquiri. f. 14. seqq.

**CAP. IV.** Desideratum Constantiensis Concilii in hac controyersia decretum. f. 24.

**CAP. V.** Concisor probatio, Christianis nullum esse jus sub religionis prætextu in regiones infidelium. f. 25.

Tom. III.

(d) 2

PARS